

in Monasteriis exemptis, curæ, & vigilantia Episcopi in primis committitur, aut ob aliam urgentem, ac necessariam causam oportuerit Superiorem Regularem eodem anno pluries ingredi septa Monasterii, tunc non aliter ingrediatur, quam cum præsentia Episcopi Diocesani, vel alterius personæ Ecclesiasticæ secularis boni exempli, ac maturæ ætatis ab ipso Episcopo ad hoc specialiter deputatæ. Visitet autem Superior Regularis interiorem clausuram per se ipsum, non autem per alium, etiamsi fuerit legitime impeditus; quo casu differatur visitatio in aliud tempus, quo cessaverit impedimentum; & visitationem celeriter, & unica die, debita tamen cum diligentia, absolvat, nec ante ortum Solis eam incipiat, nec post occasum protrahat, neque ipse Visitator, neque ejus Socii ullam fumant in Monasterio refectionem. Porro si visitet Generalis, possit secum habere duos Socios sui Ordinis; si alius à Generali, unum tantum, exclusis omnibus aliis, etiam ratione officii. Qui quidem Socii assumantur exemplares, & maturæ ætatis, & in actu visitationis à Visitatore nunquam separantur, sed eum aspicere, & ab ipso aspicere semper possint. Ac præterea Visitatori assint quatuor Moniales ex Superioribus Monasteriis, quæ similes, visitatione durante, nunquam separantur à Visitatore, & Sociis. Reliquæ verò Moniales, & quæcumque aliæ mulieres, & puellæ sæculares in Monasterio degentes, nisi legitime detineantur impedimento, conveniant omnes in Choro, antequam Visitator ingrediatur interiorem clausuram, & in eo permanent durante visitatione, & quousque idem Visitator cum Sociis à Monasterio exierit. Ideoque curet Visitator, ut tempestivè admonetur Abbatissa, seu Monasterii Præfecta de præstituta die, & hora visitationis; Visitatio verò personalis fiat ad crates, & omninò extra clausuram Monasterii, & per ipsummet Superiorem dumtaxat, ut supradictum est de visitatione interioris clausuræ. Ad hæc Confessor Sanctimonialium, tam ordinarius, quam extraordinarius minimè ingrediatur septa Monasterii, nisi ad Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extræ-Unionis ministranda Monialibus, vel aliis personis infirmis, ibi degentibus, necnon ad commendandam animam agonizantium, nec unquam ingrediatur, nisi cum Socio, qui sit probatæ vitæ, & maturæ ætatis, semperque maneat in ea parte Monasterii, qua Confessorem videre, & ab ipso videri semper possit. Insuper distinctè præcipimus memoratis Superioribus Regularibus, ut infra terminum duorum mensium à publicatione præsentis Constitutionis computandum, revocent ad clausura Confessores, eorumque Socios, Concionatores, & alios quoscumque Regulares apud Monasteria Sanctimonialium, vel assidue, vel ad tempus quocumque titulo pernoctare solitos: Neve permittant eosdem, seu alios Regulares, intra, seu propè septa Monasteriorum hujusmodi habitare, vel commorari, quin etiam infra eundem

terminum quascumque Cellas, Mansiones, seu Cubicula propè Monasteria prædicta ad usum memoratorum Regularium existentia, si clausuræ Monasteriorum earundem Monialium contigua sint, eidem clausuræ includi, vel detru omnino faciant; si verò sint extra septa, vendi, pretiumque in Monasterii utilitatem converti, nec in posterum alia similia aptari, ædificari, aut emi permittant. Quod si infra dictum terminum Superiores Regulares præmissa cum effectu non adimpleverint, teneatur Ordinarius loci, tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus, illa adimplere, & omniò exequi, etiam invocato, si opus fuerit, brachii secularis auxilio. Verumtamen si Monasterium Regularium virorum, quibus Moniales sunt subjectæ, sit intra dicta mœnia, vel è converso, habeantur, vel conducantur, commodè fieri possit, mansiones ad usum Confessoris, quæ non sint conjunctæ, seu contiguae ipsi Monasterio Monialium, sed ab eo penitus disjunctæ, non solum per parietes, sed etiam per tecta: sin autem utrumque Monasterium sit intra mœnia, & unum ab altero, Episcopi judicio, multum distans, tunc habeantur, vel conducantur hujusmodi mansiones, ut supra, distinctæ, & separatæ à Monasterio Monialium in distantia ab ipso Episcopo recognoscenda, & approbata; ita tamen, ut mansionibus Confessoris, sive intra, sive extra mœnia constitutis, excepto ipso Confessore cum suo Socio, alii Regulares, etiamsi Superiores sint, minimè pernoctent. Si quis vero prædictorum Regularium aliquid contra præsentium tenorem facere, vel moliri præsumperit, aut adimplere neglexerit, ipso facto penam excommunicationis, & privationis omnium officiorum, quæ obtinet, ac perpetuè inhabilitatis ad illa, vel alia in posterum obtinenda, vocisque activæ, & passivæ, absque alia declaratione incurrat. Et nihilominus nullis Privilegiis, & exemptionibus tueri se possit, quominus ab Episcopo loci, tanquam ad hoc Sedis Apostolicæ Delegato, quoties, & quando opus fuerit, corrigi, & puniri valeat.

3503. In meo Ordine Minorum de Observantia extat statutum Cap. Gen. de anno 1664. (quod in comitatu Superiorum, quocumque de causa ingrediuntur, semper sit Vicarius, seu Confessarius Monialium, sub penis in eisdem statutis contentis.) Unde in ingressu Provincialis Socius debet esse Confessarius Monasterii, debet esse enim unus.

#### QUOAD EGRESSUM,

3504. **D**AT regulam, & prohibitionem Bonifacius VIII. in cap. unico de Statu Regularium in 6. apud Donatum tom. 3. tr. 3. quest. 2. num. 18. & tr. 4. q. 15.

3505. Periculoso, & detestabili quarundam Monialium statui, quæ honestatis laxatis habentis, & Monachali modestia, sexusque verecundia impudenter abjectis, extra sua Monasteria nonnunquam per habitacula sæcularium personarum discurrent, &c. præ-

præsenti constitutione, &c. Sancimus, universas, & singulas Moniales, præsentis, atque futuras, &c. sub perpetua in suis Monasteriis debere de cætero permanere clausura, ita quod nulli earum, &c. valeat quacumque ratione, vel causa, nisi fortè tanto, & tali morbo evidenter earum aliquam laborare constaret, quod non possit cum aliis absque gravi periculo, seu scandalo commorari, Monasteria ipsa deinceps egrediendi facultas.)

3506. Insuper concedit textus, quod si Abbatissa, seu Priorissa teneatur præstare homagium, vel fidelitatis juramentum ab aliquo feudum, quod Monasterium habet ab aliquo Principe, seu Domino temporali, tunc, si non valeat illud præstare per Procuratorem, possit exire de Monasterio cum honesta, & decenti societate, & homagium, seu juramentum fidelitatis Principi præstare, & eo præstito, teneatur ad Monasterium & vestigio reverti.

3507. Eandem Const. Bonifacii VIII. de cap. periculoso, expressè approbavit Cone. Trid. sess. 25. de Regularibus, cap. 5. & confirmavit Pius V. per Bullam 8. Circa Passionalis 29. Maii 1566.

3508. Insuper idem Pius V. 8. Feb. 1570. per aliam Bullam, priorem declaravit, ut sequitur:

Decori, & honestati omnium Sanctimonialium, &c.

§. 1. Sanè periculo, & scandalo plena res est, &c. Sanctimonialia aliquando parentes, fratres, & sorores, aut alios agnatos, vel cognatos, necnon Monasteria, & alia filiationis nuncupata, etiam eis subjecta visitandi, aut infirmitatis causa, aliove prætextu à Monasteriis exire, & per sæcularium personarum domus discurre, & vagari, quo veluti colore eximium quoque honestatis, & pudicitia deus in discrimen committunt.

§. 2. Unde nos malo huic, &c. salubriter occurrere volentes, in hærentes etiam Decreto S. Cone. Trident. &c. ac aliis nostris litteris, &c. volumus, sancimus, & ordinamus, nulli Abbatissarum, Priorissarum, aliarum Monialium, &c. etiam infirmitatis, seu aliorum Monasteriorum, etiam eis subjectorum, aut domorum, parentum, aliorumve consanguineorum visitandorum, aliavè occasione, & prætextu, nisi ex causa magni incendii, vel infirmitatis, lepræ, aut epidemiæ, quæ tamen infirmitas, præter alios Ordinum Superiores, quibus cura Monasteriorum incumberet, etiam per Episcopum, seu alium loci Ordinarium, etiamsi prædicta Monasteria ab Episcoporum, & Ordinariorum jurisdictione exempta esse reperiantur, cognita, & expressè in scriptis approbata sit, à Monasteriis præfatis exire, sed nec in prædictis casibus extra illa, nisi ad necessarium tempus, stare licere.

Aliiter autem, quam ut præfertur, egredientes, seu licentiam exeundi quomodocumque concedentes, necnon comitantes, ac illarum receptatrices personas, sive Laicas, aut Sæculares, vel Ecclesiasticas, consanguineas, vel non, excommunicationis

majoris lætæ sententiæ vinculo statim eo ipso absque aliqua declaratione subjacere, à quo præterquam à Romano Pontifice, nisi in mortis articulo absolvi nequeant.

Et insuper, tam egressas, quam Præsidentes, & alios Superiores prædictos eis licentiam hujusmodi concedentes, dignitatibus, officiis, administrationibus per eas, & eos tunc obtentis privamus, & illas, & illos ad obtenta, & alia impofterum obtinenda inhabiles.

3509. Nominè epidemiæ venit pestis. Pelliz. cap. 5. num. 32. Vide à num. 1515. Per receptatrices, & comitantes intelliguntur personæ aliæ, quæ suo comitatu, aut receptione cooperantur egressui Monialium, aut sunt causa ne redeant ad Monasterium; minimè illæ, quæ urbanitatis, amicitia, aut consanguinitatis præcisè causa Moniale illicitè egressam recipiunt, aut comitantur. Pelliz. de Monialibus, cap. 5. num. 26.

3510. Pius ergo V. apponit excommunicationem reservatam Romano Pontifici, & penam inhabilitatis, & privationis officiorum non reservatam; undè de hac discurre ut in num. 3494.

Quantum ad excommunicationem,

3511. Dico, ab ea absolvere posse Episcopum, si sit occulta, ut in num. 3492.

#### DIFFICULTAS EST, SI SIT PUBLICA,

**I**N qua re Pelliz. de Monialibus, cap. 5. num. 28. & cap. 9. num. 26. affirmat; quia Moniales sunt perpetuo impeditæ, & si pro abolitione deberent adire Papam, cogentur ad impossibile; cum teneantur ad perpetuam clausuram: at impossibilitatem non est obligatio.

3512. Respondeo, non posse Episcopum ab hac excommunicatione, si sit publica, absolvere. Donatus tom. 3. tract. 4. quest. 3. Ratio, quæ me movet est; quia Pius V. quando hanc censuram contra Moniales fulminavit, & eam soli Romano Pontifici reservavit, omnem alium pro abolitione excludendo, jam sciebat, Moniales esse impeditas perpetua clausura, ad quam ex juribus antiquioribus tenebantur; si igitur, hoc non obstante, tali rigore reservationis contra Moniales vult, argumentum evidens est (ni dicere velimus Pium V. voluisse edere legem deridendam) quod Summus Pontifex velit, occurrente casu egressionis, Moniales pro abolitione adire Romanum Pontificem, non quidem personaliter, quod est impossibile, & præter intentum Summi Pastoris, sed per Litteras, Nuncium, aut Procuratorem; quod omnino vult, quia vult in tali casu esse consultum, requisitum, & certioratum, ut possit una cum abolitione, & medicina, debita pena, & correctioe ab hujusmodi excessu Moniales coercere.

3513. Ratio autem perpetui impedimenti fivert Monialibus, ut possint ab Episcopo absolvi juxta dicta superius, solum in aliis casibus, in quibus ab-

solutio reservatur generaliter pro omnibus fidelibus, inter quos tantum per inclusionem tanquam species in genere veniunt Moniales; minime in casibus, in quibus censura reservata specialiter, & explicitè est lata contra Moniales, qualis est censura à Pio V. lata contra Moniales egredientes, & alia Greg. XIII. lata contra Moniales admittentes, aut permitteutes ingressum virorum, aut mulierum intra eorum Monasteria, ut in num. 3484. & in num. 3487. in Bulla Greg. 5. 3. & 4. Idque ob præfatam rationem, alias Pontifex edidisset legem, & reservationem deridendam; quod non est excogitandum.

Hinc Fagnanus in lib. 1. Decr. cap. Quoniam 13. de Const. num. 30. ait, ex Bulla Pii V. ademptam esse facultatem Episcopis competentem in vim dicti cap. 6. absolvendi Moniales secretè delinquentes in materia clausuræ.

3514. Idem ob eandem rationem dico de excommunicatione Romano Pontifici reservata, lata à Greg. XIII. & Pio V. specialiter, & expressè contra mulieres ingredienti Monasteria virorum, aut Monialium, juxta superius dicta. Hæc quidem licet in Jure Canonico super relato censetur impedire, hoc eas juvat in casu legis reservantis lata contra omnes, inter quos mulieres solum tanquam species in genere continentur; minime in casu legis specialiter, & expressè contra mulieres lata; adeoque tenentur adire Romam per Litteras, aut Nuncium.

3515. Cui non obstat dictum, quod personaliter impeditur adire Pontificem pro absolutione, non tenetur adire per Litteras, aut Nuncium, quia hoc est verum regulariter, minime in casibus extraordinariis, in quibus vel Pontifex expressè se declarat, vel evidenter ex ejus lege colligitur, quod velit, ut hujusmodi impediti recurrant ad ipsum pro absolutione; hujusmodi sunt casus in quibus expressè, & specialiter Pontifex fulminat excommunicationem sibi reservatam contra mulieres, & Moniales. Tunc igitur mulieres, & Moniales adire debent Pontificem pro absolutione, modo, quo possunt non quidem personaliter, sed per Litteras, aut Nuncium.

Verum tamen est, posse eas Regulares pro Monialibus approbatos absolvere, etiam in casibus publicis in foro tamen conscientie, juxta dicta in num. 3492.

3516. Corroborantur dicta; quia Jus Canonicum, cap. 6. Mulieres, & cap. 33. de Monialibus, in lib. 5. tit. 39. de Sent. excom. loquitur expressè de censura ob percussione Clerici, aut Monialium: in hoc inquam casu concedit quod possint ab Episcopo absolvi, & solum Doctores ex paritate rationis, quatenus pro omni casu sunt impeditæ, illud extendunt ad reliquos casus. Amplector autem hujusmodi extensionem, sed non plus æquo, & ultra claram mentem Summi Pontificis, ut extensio dicti juris fiat ad omnes casus, & cum exclusione omnis modi recursus pro absolutione ad Papam,

etiam in illis casibus, in quibus evidenter colligitur, Papam velle, ut recurratur ad ipsum, uti in recentis casibus constat. Vide num. 3524. & seq.

#### QUÆRES:

3517. Monialis quedam egressa est à proprio Monasterio, & ingressa in aliud Monasterium conjugum, urbanitatis, seu curioſitatis causa. An incurrit excommunicationem contra egredientes, & ingredienties latam?

Pelliz. de Monialibus, cap. 5. num. 57. & Bordonius ibi, affirmant; quia Monialis non tenetur ad clausuram in communi, sed ad clausuram proprii Monasterii; undè licet in casu transeat de clausura ad clausuram; clausuram, ad quam perpetuo servandam est obligata, frangit.

3618. Solum dissentiant in hoc, quod Pelliz. velit esse duo peccata, & duas excommunicationes incurri, quatenus sunt duo actus egressus videlicet, & ingressus.

3519. Bordon. verò vult esse unum, & unam excommunicationem incurri ob egressum, quatenus Bulla Pii V. dum excommunicat Moniales illicite egredientes, terminum à quo respicit, non ad quem; non respicit inquam locum, ad quem ingreditur, cum enim casus accideret solet, ut Moniales egrediantur ad vagandum, lex non comprehendit hunc casum extraordinarium ingressus ad aliud Monasterium contiguum: Et lex ad ea, que raro accidunt, non aptatur, leg. Nam ad ea, ff. de Legibus.

3520. Si autem cupis scire, quid hæc in re sentiam. Duos actus in præſenti casu considerandos puto, egressum videlicet de proprio Monasterio, & ingressum in aliud, quod parum refert, si sit ejusdem, vel alterius Ordinis, cum id materialiter se habeat.

#### QUANTUM AD INGRESSUM,

3521. Dico, eam incurrisse excommunicationem non reservatam Trident. Infuſper excommunicationem Gregor. XIII. & Pii V. reservatam Romano Pontifici. Ab hac autem posse ab Episcopo absolvi, etiam si sit publica.

Ratio primæ partis est, quia Trident. cit. num. 3483. comprehendit omnes cujusvis generis, conditionis, & sexus, adeoque Moniales. Potest tamen hæc censura à quovis Confessario pro Monialibus approbato absolvi; quia non est reservata, ut in num. 3486.

3522. Ratio secundæ partis est; quia Moniales ingredienti in aliud Monasterium Monialium comprehenduntur in Bulla Gregor. XIII. Ubi gratia, relata num. 3487. non quidem explicitè, sed implicitè.

Non inquam explicitè, quia Bulla explicitè loquitur, & censuram fulminat contra mulieres sæculares cujusvis conditionis, que prætextu licentiarum prætendebant ingredi Monasteria Monialium, & earum licentias revocant.

Con-

Confirmatur; quia hæc licentia non concedebatur Monialibus, sed Sæcularibus; nec Moniales id prætendebant, sed Sæculares; unde de mulieribus Sæcularibus revera Bulla loquitur; quod maxime convincitur ex Bullis Pauli V. Facultatum, num. 3499. Monialium statui, & Urban. VIII. sacrosanctum, num. 3500. quæ confirmat Bullam Greg. & pariter expressè loquitur de mulieribus sæcularibus, ut constat Bullas legenti.

3523. Comprehenduntur autem in Bulla Greg. implicitè, quia contra Moniales militat idem finis, & eadem ratio legis contra mulieres sæculares lata; imò potiori jure. Nec talis extensio legis ad Moniales videatur dura Bordonio apud Pelliz. cit. num. 3519. Quia Bulla Pii V. Regularium personarum, de num. 3490. & alia ejusdem: Decet Romanum Pontificem, de num. 3491. expressè comprehendit mulieres ingredienti Monasteria virorum, & in odiosis nomine mulieris non veniunt Moniales, sed Sæculares, sicut nomine virorum non veniunt Clerici, nec nomine Clerici, Regulares, nisi per aliquam particulam exprimentur; & hoc non obstante, docet Bordon. cum communi, in Bullis relatis Pii contra mulieres ingredienti Monasteria virorum comprehendit implicitè Monialem ob idempnitatem finis, cum verè sit mulier, & exposita periculis non minus, quam quælibet mulier Sæcularis; qui est finis legis.

Ita pariter dicere debet, quod Moniales à suo Monasterio in aliud Monasterium Monialium ingredienti urbanitatis, aut curioſitatis causa, comprehenduntur implicitè in Bulla Gregor. XIII. Ubi gratia, contra mulieres lata; quia sunt verè mulieres, & potiori jure per hujusmodi earum ingressum scandala secuntur, & Sanctimonialium quies, tam undè egrediuntur, quam quod ingrediuntur, perturbatur, qui est finis legis, ut constat ex verbis ipsius Bullæ Gregor. & Canonis: Periculoso, de num. 3505.

3524. Ratio tertiæ partis est; quia lex Greg. XIII. non est lata specialiter contra Moniales egredientes, sed generaliter contra mulieres, ut in num. 3487. inter quas comprehenduntur Moniales tanquam species in genere, & implicitè, adeoque eas juvat Jus Canonicum, cap. de Monialibus, quo reputantur perpetuè impeditæ: indè sunt ab Episcopo absolvibiles, etiam si casus sit publicus.

3525. Non sic Abbatisse admittentes, aut permitteutes, & cæteræ Moniales admittentes hujusmodi ingressum; hæc namque, si casus est occultus, absolvi possunt ab Episcopo, minime, si est publicus, quia relata Bulla Greg. est specialiter, & expressè lata contra ipsas, undè recurrit dicta num. 3513. Ubi (ut vides) uno modo discursibus de Monialibus ingredientiibus, & alio de Monialibus admittentibus, aut permitteutes hujusmodi ingressum; quoniam Bulla diverso modo de illis discurrit, ut constat legenti in num. 3487.

3526. Posse autem præfatas admittentes, aut

permitteutes absolvi in foro conscientie à Regularibus pro Monialibus approbatis, sequitur ex dictis num. 3515.

#### QUANTUM AD EGRESSUM,

3527. Respondeo cum distinctione; vel enim Monialis ista est ita egressa de suo Monasterio ad Monasterium contiguum, ut tranſierit per aliquam viam medianam, licet brevem, sæcularibus communem; vel ita, ut non tranſierit per talem viam, quatenus duo illa Monasteria sunt immediate contigua, nulla interposita via.

3528. Si primum, proculdubio est incurſa in excommunicationem Pii V. Decori, & honestati, reſervatam in num. 3508. ut constat ex dicendis num. 3530. Eò maxime, quia ibi prohibetur egressus, etiam si fiat ad visitandum aliud Monasterium subsecutum; ubi supponitur transitus per vias intermedias sæcularibus communes, ut constat ex fine, & narrati-va Bullæ. Ac proinde de ea discurrere, ut à num. 3510. ad 3515. Vide num. 3536.

3529. Si secundum (stando in Jure Communi, & ad expressa in recentis Bullis) videtur,

Quod habeatur fractio clausuræ materialis, minime formalis, seu perfectæ, & prout jura requirunt ad incurrendam censuram: clausura enim videtur locus ille, qui jam a clausa continetur, ad quem sæcularibus non patet accessus, Donatus tom. 3. tract. 3. q. 1. n. 5. Mendo verb. Monasterium, num. 3. adeoque violatio formalis, seu perfectæ clausuræ: per egressum, videtur egressus è loco, qui jam a clausa continetur, ad locum, ad quem sæcularibus patet accessus. Cujusmodi non est egressus Monialis ad Monasterium immediate contiguum, sed est de clausura ad clausuram.

3530. Præfate duæ definitiones videtur desumptæ ex Bulla Greg. XIII. Deo Sævis, edita 30. Decemb. 1572. & ex Const. 8. ubi in §. 6. habetur.

Declaramus præterea, nullis Monialibus, etiam Tertiaris, licere habere ostium, per quod ex Monasterio introiri possit in ipsarum Monialium Ecclesiam exteriorem, in quam sæcularibus ad Missas, & Divina Officia pateret solet accessus, sed omnino muro obstruendum: neque itidem licere Monialibus, etiam Tertiaris egredi à juna Monasterii, quæ est pro clausura ipsius Monasterii, etiam ad claudendum aliam ulteriorem januam, qua patere solet aditus sæcularibus venientibus; vel ad rotam, vel ad crates, seu loca colloquii destinata, quæ vulgò parlatoria vocantur, vel ad pullandum ipsam januam clausuræ, quæ loca, cum saltim pro causis prædictis patere soleant sæcularibus, extra clausuram censeri debent, etiam pro tempore, quo clausura sunt.

Idem videtur ex ipsis juribus, tam capituli Periculoso, & Tridentini, quam ipsius Pii V. Decori, & honestati, excommunicationem infligentis, relatis num. 3508. ubi prohibetur egressus Monialium è Monasterio, expressè assignando pro fine, ne per ta-

Tc lem

lem egressum per Sæcularium domos discurrant, & vagent, cum honestatis, & pudicitia virginis periculo, quod clarè constat ipsa jura legenti. Adeoque recensita jura non videntur disponere de præsentis casu, singularis namque est, & extraordinarius.

3531. Dico tamen, recensitam Monialem, quæ est in proprio Monasterio, egressa in aliud Monasterium immediate contiguum, incurrisse excommunicationem reservatam S. Pii V. Ratio desumitur ex idempnitatis finis legis, ut discurrant pater. Et ex Regula: (Lex etiam exorbitans, & penaliter extenditur ad casus similes, quando alias redderetur clausura) in cap. Si quis, de Regul. Fagnanus in lib. 3. pag. 411. num. 41.

3532. Suadet ex simili in num. 3523. omnino recolendo.

3533. Non obstat Regula vulgata, quod in penultima non fit facienda extensio ex idempnitatis rationis.

Primo: quia hæc Regula est desumpta ex Regula 15. juris in 6. Odiâ restringit & favores convenit ampliari: quando autem agitur de puniendis delictis, materia dicitur favorabilis & expediens Republicæ, L. Ita vulneratus, ff. ad leg. Aquil. adeoque fieri debet extensio. Fagnanus in lib. 3. Decret. cap. Immunitatem 10. de Immunit. Eccles. num. 13.

Secundo: quia dicta Regula limitatur hac alia Regula: *Utiunque ratio legis est generalior dicto, seu disposito, tunc ad latitudinem rationis extenditur ipsa dispositio textus, L. Regula, §. final. Abbas hic num. 9. vers. Et satis posse dici.* Fagnanus cit. num. 12.

Dicta militat in re nostra, nam agitur de puniendo delicto egressus Monialium, quæ punitio maxime expedit publico bono Reipublicæ: Et ratio legis prohibens, & puniens, nempe discursum, & vagatio extra propriam clausuram est generalior dispositio, taliter ut comprehendat discursum, & vagationem in Monasterium immediate contiguum.

3534. Firmatur resolutio facta novissimo, & dispositione Sac. Congr. Episc. & Regul. Factum contigit Panormi, ubi Moniales unius Monasterii, occasione facti parietis, qui earum Monasterium ab alio dividebat, è proprio egrediebantur in aliud Monialium immediate contiguum, & è converso. Pro quo facta Sac. Congr. per duo Decreta de die 3. Octob. 1698. & 18. Sep. 1699. & per tres Epistolam de die 21. Aug. 1699. 4. Sep. 1699. & 18. ejusdem mensis, & anni, Illustriss. ac Rmo. Archiepiscopo Panormitano directæ, quæ in Archivo M. C. Archiepiscopalis conservantur, facultatem eidem Archiepiscopo commisit, recensitas Moniales (salutari poenitentia inuncta) absolventes à censuris violatæ clausuræ Sedi Apostolicæ reservatis. Qui sunt proprii termini Decretorum, & Epistolarum, quæ originalia præ manibus habui, & propiis oculis perlegi.

3535. Ex quibus duo concluduntur. 1. Recensitas Moniales incurrisse excommunicationem Papæ reservatam. 2. Ab ea, si est publica, non posse Episcopum absolvere.

3536. Et colligitur 1. potiori jure excommunicationem reservatam incurrisse, si fracto pariete intermedio, è proprio Monasterio egrediantur in domum exterorum immediate contiguum, etiam si id faciant animo eam domum cum Monasterio incorporandi, si id absque legitima superiorum licentia agant. Vide num. 3528.

3537. 2. Clausuram adæquatè definiti: quod sit locus ille, qui janua clausa continetur, ad quem exteris non patet accessus. Sic namque comprehenduntur Moniales alterius Monasterii, etiam immediate contigui, quæ quidem respectu alterius sunt exteræ.

3538. 3. Monialem, quæ egressa est à primo Monasterio in aliud immediate contiguum, duas incurrisse excommunicationes reservatas: quia duo sunt actus, egressus videlicet, & ingressus, ut in num. 3518. Quantum ad absolutionem excommunicationis ob ingressum discurrere, ut à num. 3524. ad 3526. Quantum autem ad absolutionem excommunicationis quoad egressum discurrere, ut à num. 3511. ad 3516.

#### QUÆRES II:

3539. An recensita Monialis possit absolvi à censura per egressum, virtute Bullæ Cruciatæ?

**R**esp. non posse. Quia Privilegium Cruciatæ, quantum ad articulum eligendi Confessarum, & absolventi à casibus reservatis, non suffragari Regularibus, & Monialibus, declaraverunt plures Summi Pontifices; Pius V. Const. 132. Exponi Nobis, 22. Julii 1571. Clemens VIII. Const. 64. Romani Pontificis, 23. Novemb. 1599. & Urban. VIII. Const. 105. In specula, 16. Junii 1630. Ut infra de Bulla, ita ut adhuc id affirmare, potius temeritatem sapiat, quam probabilitatem: unde non video, quo pacto post propositionem primam ab Innocent. XI. damnatam, possit quis hanc opinionem sequi.

3540. Nec juvat dicere, quod Moniales possint uti Privilegio Bullæ de licentia sui Superioris; quia earum Superior, vel est Episcopus, vel Prælati Regularis; isti autem possunt quidem cedere juri suo, & dare licentiam utendi Bulla pro reservatis, sed pro reservatis sibi, minime pro reservatis Papæ, quoniam Papa vult quoad sibi reservata, eas subijci Sedi Apostolicæ per hæc verba: *Ordinaria subijctioni suorum Prælatorum, & Sedi Apostolicæ quoad sibi reservata subiectæ sint.*

3541. Pelliz. de Monialibus, cap. 7. num. 4. tenet, prædictam declarationem Clem. VIII. & aliorum Pontificum comprehendere Moniales subiectas Prælati Regularibus, minime subiectas immediate Sedi Apostolicæ, sive Ordinario loci; quia respectu harum cessat finis prohibitionis, videlicet, quod electio Confessarii virtute Bullæ pro reservatis, aliquando in speciale vergit Religionis detrimentum. Nam cum hæc sint exemptæ à regimine Prælatorum Regularium, talis electio Confessarii non potest cedere in damnum ipsius Religionis. Tùm quia alius finis est, ut Moniales, quoad Sacramentum Poenitentia subijcian-

tur

ter Prælati. Et ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus Leg. de Prærio 8. ff. de Publ. in rem act. maxime cum idem finis observantia, & disciplina Regularis servanda militet pro cunctis Monialibus, sive Prælati Regularibus, sive Ordinariis immediate subiectis.

3542. Dico autem pro certo, prædictam Declarationem comprehendere etiam Moniales à Prælati Regularibus exemptas; constat ex verbis ipsius Bullæ Clement. VIII. ab ipso Pelliz. relatis.

Concessionem S. Cruciatæ, & aliorum indultorum particularium, quantum ad prædictum articulum eligendi Confessorem, & absolventi à casibus reservatis, cum Fratibus, & Sororibus Monialibus Ordinis prædicti, (supple tu B. Mariæ de Monte Carmelo) ac aliorum quorumcumque Ordinum, & ubilibet, locum minime habere, nec censeri, sed nostræ intentionis existere, quod idem Fratres, & Moniales, quantum ad Sacramentum Poenitentia, seu confessionis administrationem dispositioni suorum Prælatorum subiecti sint, Apostolica autoritate tenore præsentium declaramus, eisdem tamen Prælati, ut in usu hujusmodi potestatis, se cum subiectis benignos, & faciles exhibeant, præcipimus.

3543. Insuper Urban. VIII. cit. idem confirmat, dicens, quod talis electio, & absolutio virtute Bullæ cedit in maximum statum, & Regularis observantia præjudicium. Item in detrimentum eorum Regularis disciplina. Ubi, ut vides, Clemens, & Urban. loquuntur intransitive, & minime transitive, nimirum, quod talis electio facta à Fratibus cedit in detrimentum observantia, & disciplina Regularis Religionis Fratrum; facta verò à Monialibus, in detrimentum observantia, & Religionis Monialium; Moniales enim v. gr. Clarissæ, sunt verè Religiosæ, & verè in se Religionem, & Ordinem constituunt; solum dicuntur ejusdem, aut diversi Ordinis relatè ad Religionem virorum.

3544. Confirmatur. 1. Quia Clemens, & Urban. eodem modo id declarant, & prohibent quoad Fratres, & quoad Moniales: igitur si loquendo quoad Fratres, sumunt finem illum damni observantia, & disciplina Regularis intransitive, ita loquendo quoad Moniales. 2. Quia non minoris, sed majoris considerationis est disciplina, & observantia Regularis ipsorum Monasteriorum Monialium, quam Religiosorum virorum; undè pro ea servanda Pontifices intransitive loquuntur, ac proinde absolute, sive Moniales sint subiectæ Regularibus, sive Ordinariis.

3545. Corroboratur ex num. 3540. ex Urban. VIII. qui quoad exclusionem Cruciatæ vult, Moniales etiam Sedi Apostolicæ, quoad sibi reservata subijci.

Non cessat igitur pro Monialibus Ordinario subiectis primus finis.

3546. Secundum finis, quod sint subiectæ dispositioni suorum Prælatorum, etiam verificatur de Monialibus immediate subiectis Ordinariis; quia Ordinarii, & Episcopi sunt verè, imò magis principian-

ter Prælati. Et ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus Leg. de Prærio 8. ff. de Publ. in rem act. maxime cum idem finis observantia, & disciplina Regularis servanda militet pro cunctis Monialibus, sive Prælati Regularibus, sive Ordinariis immediate subiectis.

3547. Confirmatur: quia aliud est dicere, quod Moniales quorumcumque Ordinum subiectæ sint dispositioni suorum Prælatorum; & aliud Prælatorum sui Ordinis. Primum dicit Clem. & Urban. minime secundum, quod Pelliz.

#### CATALOGUS CENSURARUM, & casuum reservatorum.

#### SUSPENSIONES.

3548. 1. **C**ontra suscipientes Ordines Sacros sub titulo ficto patrimonii, vel beneficii, vel extra tempora ab Ecclesia præscripta, vel ante legitimum ætatem, vel absque litteris dimissivis. Trid. sess. 21. de Reform. cap. 2. sess. 23.

2. Suscipientes duos Sacros Ordines eodem die, aut duobus diebus continuis, & immediatis; qui suspenduntur ab exercitio posterioris; quia suspensio est Papæ reservata.

3. Suscipientes Ordinem superiorem per saltum, non recepto inferiori, v. gr. Sacerdotium, non recepto Diaconatu. Trident. sess. 23. de Reform. cap. 14.

4. Contra Clericum, qui vacante Sede Episcopali, Ordinem Sacrum recipit cum dimissivis Capituli, nisi occasione beneficii recepti, aut recipiendi arctatus fuerit. Et Capitulum contraveniens interdicto subjacet, & sic ordinati sunt ipso facto suspensi ab Ordinibus suscepris ad beneplacitum futuri Episcopi. Trident. sess. 7. cap. 10.

5. Contra Sacerdotem Sæcularem, aut Regularem, qui conjugit in Matrimonium, aut benedicit subditos alterius Parochia sine licentia Parochi, vel Ordinarii. Trident. sess. 24. cap. 1. de Reform.

6. Contra Episcopum, qui Ordines, vel primam Tonfuram confert extraneo, absque dimissivis proprii Episcopi, aut ordinationes habet in aliena Diocesi absque licentia Ordinarii. Trid. sess. 23. de Reform.

7. Contra Religiosos introducentes mulieres intra Monasteria. Sunt suspensi à Divinis Officiis, ex Bulla S. Pii V. & Gregori XIII. Ubi ipsæ feminae ingredients Monasteria virorum, aut è converso sub pretextu facultatum, excommunicantur ipso facto.

#### EXCOMMUNICATIONES RESERVATÆ Papæ extra Bullam Cœnæ.

3549. 1. **P**erfervantes in excommunicatione Delegati Papæ post annum.

2. Communicantes in divinis scienter cum excommunicatis à Papa: dummodò communicans sit Clericus, & excommunicatus sit nominatim denunciatus.

3. Incendiarii nominatim per penitentiam Ecclesiæ publicati.

4. Illi, qui gravant in personis, aut bonis eos, qui sententiam excommunicationis, suspensionis, aut interdictionis in aliquem tulerint, si in eo per spatium duorum mensum perseveraverint.

5. Illi, qui post absolutionem à priori excommunicatione reservata Papæ, sub conditione comparandi coram Papa, aut satisfaciendi parti læsæ, talem conditionem, elapso tempore, negligunt.

6. Religiosi, qui Sacramentum Extremæ-Uncionis, aut Eucharistiæ per modum Viatici, vel matrimonia solemnizant sine speciali licentia Parochi, vel absolvent excommunicatos à Canone: præterquam in casibus in jure concessis.

7. Confessarii, qui dispensant in votis ultramarinis, SS. Petri, & Pauli, & S. Jacobi in Compollæ, Castitatis, & Religionis, atque à casibus reservatis Papæ absolvent sine privilegio, & concessione.

8. Lacerantes, & exenterantes corpora Defunctorum, ut conserventur, vel ut decoquantur, ut ossa possint in alia loca transferri.

9. Dantes, vel recipientes aliquid per modum pacti, & conditionis ob ingressum Religionis.

10. Spoliantes Ecclesiam cum fractura portarum, aut fenestrarum, postquam fuerint per sententiam Ecclesiæ nominatim denunciati.

11. Moniales professæ, si è Monasterio egrediantur, nisi causa magni incendii, aut lepræ, aut pestis per Superiorem, & Episcopum probata; item eas comitantes, & recipientes.

12. Ingredientes Monasteria Monialium sine necessitate, & debita licentia. Et Mulieres ingredientes Monasteria virorum sub prætextu facultatum.

13. Clerici, vel Laici quacumque arte usurpantes bona, res, jura, fructus, redditus, aut jurisdictiones alicujus Ecclesiæ, vel beneficii secularis, monium pietatis, aut aliorum piorum locorum; vel impediendes, ne percipiantur ab eis, ad quos de jure spectant.

14. Prædicatores, qui aliquid prædicant contrarium, aut dissonum Sacræ Scripturæ. Qui tempus præfixum futurorum malorum, vel adventus Antichristi, aut certum Judicii diem prædicunt. Qui futura quasi specialiter revelata dicunt, aut alienas, atque inanes divinationes asseverant, ex Leone X. in Conc. Lateran.

15. Religiosi, aut Clerici Sæculares, qui aliquem inducant ad vovendum, jurandum, aut promittendum, ut apud eorum Ecclesiæ sepulchrum eligat, vel jam electam amplius non mutet, *Clement. Capien-tes, & cap. 1. Bonif. VIII. de Sepulchris.*

16. Illi, qui contra piam sententiam de Immaculata B. M. V. Conceptione, ejusque festum, aut cultum, aliquid quovis modo, publicè, vel privatim, voce, vel scripto, loqui, concionari, tractare, disputare auri fuerint, vel argumenta contra eam af-

ferendo, & insoluta relinquendo. Alex. VII. in Bulla *solicitude*, die 8. Decemb. 1661.

#### CASUS 20. RESERVATI IN BULLA Cœnæ Domini.

3550. 1. **H**æretici cujuscumque sectæ, eorumque receptatores, fautores defensores, eorumdem libros hæresim continentes, vel de Religione tractantes scienter legentes, retinentes, imprimentes, defendentes, & Schismatici. *Vide tom. 2. num. 286. à num. 381. & à num. 418.*

2. Appellantes ab ordinationibus, seu mandatis Romani Pontificis ad futurum Concilium, eorumque fautores.

3. Pyratæ, Curfarii, ac Latrunculi maritimi discurrerentes mare Romani Pontificis, præcipuè à Monte Argentario usque ad Terracinam, ac eorum fautores, receptatores, & defensores.

4. Naufragorum Christianorum cujuscumque generis bona, etiam in litoribus inventa furripientes.

5. Imponentes nova pedagia, & gabelas, vel eas augentes, præterquam in casibus à jure, seu ex speciali Sedis Apostolicæ licentia permisis.

6. Falsificantes Litteras Apostolicas, aut falsò fabricantes.

7. Deferentes arma, aut alia usui bellico idonea ad Turcas, & alios Christiani nominis inimicos, vel hæreticos, per Sanctæ Sedis sententiam expressè, & nominatim declaratos. Vel ad Christianæ Reipub. aut Catholicæ Religionis statum pertinentia in ejusdem damnum illis annunciantes.

8. Impediendes eos, qui victualia, & alia necessaria Romam convèhant.

9. Ad Sedem Apostolicam venientes, vel ab ea recedentes, sua, vel aliorum opera lædentes, vel sine jurisdictione vexantes in Curia Romana commorantes.

10. Romipetas, & peregrinos, etiam in Urbe morantes, vel recedentes lædentes, & in his dantes auxilium consilium, vel favorem.

11. Interficiendes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insèques S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicæ Legatos, vel Nuncios, aut eos à suis Diocæsis, Territoriis, Terris, seu Dominiis ejicientes; necnon ea mandantes, vel rata habentes, seu præstantes in eis auxilium, consilium, vel favorem.

12. Occidentes, quovis modo percutientes, aut bonis spoliantes, per se, vel per alios, eos, qui negotiis suis ad Romanam Curiam recurrunt, aut eorumdem Advocatos, Procuratores, Agentes, Auditores, vel Judices super dictis causis deputatos.

13. Appellantes à gravamine, vel futura executione Litterarum Apostolicarum ad laicam potestatem.

14. Executionem Litterarum Apostolicarum,

aut

aut aliarum expeditionum impediendes, & prohibentes ad gratias impetrandas accedentes.

15. Judices seculares, qui Ecclesiasticas personas trahunt ad sua tribunalia, quique Ecclesiasticam libertatem tollunt, aut in aliquo perturbant. *Vide tom. 1. à num. 719.*

16. Impediendes Prælatos, ne sua jurisdictione utantur, quique illorum, & Delegatorum judicia eludentes ad Curiam sæcularem recurrunt, aut contra illos decernunt, atque in his præstantes auxilium.

17. Usurpantes jurisdictiones, fructus, redditus, & proventus ad Sedem Apostolicam, & quascumque Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes, vel ea sequeltrantes. *Vide à num. 704.*

18. Imponentes decimas, & alia onera Personis Ecclesiasticis, Ecclesiis, Monasteriis, aut eorum fructibus. *Vide à num. 704. & à num. 791.*

19. Judices, & quilibet Ministri, aut executores seculares, quomodolibet fe interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus contra Personas Ecclesiasticas.

20. Occupantes, invadentes, aut detinentes bona, aut terras Ecclesiæ Romanæ immediatè, vel mediatè subjecta, & illius jurisdictionem usurpantes.

Hi casus sunt desumpti ex ipsa Bulla Cœnæ ut in Bullario, tom. 4. & 6.

#### ALII SEX CASUS EXTRA URBEM, & intra Italiam Summo Pontifici reservati.

3551. 1. **V**iolatio immunitatis Ecclesiasticæ circa confugiendes ad Ecclesias.

*Vide tom. 1. à num. 609.*

2. Violatio Clausuræ Monialium ad malum finem. *Vide à num. 3482.*

3. Injectio manus violentæ in Clericum.

4. Provocatio, & pugna in duello. *Vide tom. 1. num. 2130.*

5. Simonia realis scienter contracta. *Vide tom. 1. num. 1201.*

6. Confidentia Beneficialis. *Vide tom. 1. n. 1264.*

#### PRÆFATI CASUS HIS CONTINENTUR VERBIS.

*Casus 20. Bullæ Cœnæ.*  
3552. 1. **H**æretici. 2. A Papa appellans. 3. Cum fure. 4. Pyrata. 5. Augens vectigal. 6. Aut Breve falsificans. 7. Hostibus arma ferens. 8. Victum quive amovet Urbe.

9. Quos Papa. 10. Aut pietas.

11. Aut sua causa ciet.

12. Præsulibus gravis. 13. Ad laicum spectantia Sacrum.

14. Sit reus. 15. Aut Judex, qui trahit acta forum.

16. Prælati. 17. Ecclesiæve usurpans jura.

18. Onus, & qui His statuit. 19. Capitis noscit eosque reos.

20. Sedis Apostolicæ terras quique occupat atrox.

Hos omnes Domini Cœnæ Anathema ligat.

ALII SEX CASUS.  
3553. 1. **J**ura Sacri violata loci. 2. Vel supra Sacrarum Virginum. 3. It in Clericum cum violenta manu.

4. Simonia fide. 5. Aut facta producta. 6. Duellum.

Hos intra Italiam non nisi Papa levat.

EXPOSITIO.  
3554. 1. **I**n 3. casu Bullæ Cœnæ non comprehenduntur, qui furantur in fluminibus, aut in alio mari, sed in mari Pontificis. Nec qui ad alia pergentes, semel ex accidenti alterius navis bona deprædantur; sed qui ex professo ibi rapinis dant operam, licet actu nihil furentur: Nec Catholici infideles sequefentes, & rapientes: Nec si inter spoliatos, & spoliantes sit bellum: quia tunc non dicuntur pyratæ, sed repressaria facientes.

2. In 4. Non comprehenduntur, si bona non sunt Catholicorum: Si quis capit eum suæ vitæ periculo, & aliter perissent: Si ab hostibus incendio, aut vi demerguntur: Vel si bona naufragantium ab aliò capta, ab eo dono, aut furto quis accipiat.

3. In 5. Comprehenduntur novæ gabelæ, non antiquæ, nisi quoad novum augmentum. Item impositæ à non habentibus auctoritatem imponendi. Eam habent Papa, Concilium generale, Imperator, Rex: eam non habent Jurisdiccioni subjecti, nisi habeant mixtum Imperium.

4. In 6. Incurritur, si in Litteris originalibus, aut authenticis Sedis Apostolicæ aliquid, etiam minimum addat, muret, aut delet, quod verborum sensum mutet. Non incurritur, si Litteræ expiraverint, aut si error grammaticalis corrigatur.

5. In 7. Non comprehenduntur, qui vendunt sine delatione, ut si Christiani in iis partibus degentes illis vendant, aut exilentes in propriis locis, v. gr. Liburni vendant Turcis ad se venientes.

6. In 10. Comprehenduntur illi, qui Romam petunt, vel ibi commorantur devotionis, seu peregrinationis causa.

7. In 17. Non comprehenduntur, qui tales fructus mobiles furantur, sicut alii fures, quia hi non dicuntur sequeftrare, nec usurpare, quod est quedam appropriationis species, sed furari. Nec qui bona personæ Ecclesiasticæ usurpant, illi provenientia, non ratione Ecclesiæ, Monasterii, aut Beneficii Ecclesiastici, sed ratione patrimonii, aut alterius tituli temporalis, & non Ecclesiastici; nec quando beneficia vacant.

Hæc ex Summa Diana, Toletus, & Mendo, verb. *Bulla Cœna*. Pro sex casibus Clem. VIII.

3555. Religiosi gaudent immunitate confugiendo ad proprias Ecclesias ob delictum, etiam in episcopo Ecclesiæ Monasterio commisso; & Superiores, ac alii extrahentes incurrunt censuram, si eos extrahant ad infligendam pœnam in foro externo debitam delicto intra idem Monasterium commisso. Non incurrunt autem, si extrahant ad correctionem. Patet ex dictis à num. 681. ad 684.

3556. Quibus accedit Decisio S. Congr. Immunit. in *Ætina*, apud Matthæucci, tom. 2. verb. *Immunit. Eccl. num. 30*.

Expôsît Sac. Congregationi super Immunitate Ecclesiastica, & controversiis jurisdictionalibus Fr. Carolus de Montechio Ord. Minorum Observantiae Reformatorem S. Francisci, se extractum fuisse de mandato Patris Provincialis ab Ecclesiâ Conventus *Ætini*, in quo morabatur, instando propterea declarari incidisse in excommunicationem, tam ipsam Provinciale, quam Fratres executores: Et eadem Sac. Congreg. auditis rationibus à P. Procuratore Generali Ordinis allatis, inter quas adductum fuit, prædictum Fratrem Carolum extractum fuisse ad correctionem, & ob id ad domum disciplinæ translatum, censuit, Provinciale, etiam Fratres professos, non incurrere. Romæ hac die 19. Aprilis 1701.

#### EXPLICATUR EXCOMMUNICATIO Percussoris Clerici.

3557. **P**ercussorem Clerici, aut Monachi excommunicat Innoc. II. cap. *Si quis fraudente* 17. q. 4. his verbis: *Si quis fraudente diabolo in Clericum, vel Monachum manus violentas injecerit, anathematis vinculo subiacet, & nullus Episcoporum præsumat eum absolvere*; comprehenduntur mares, feminae, mandantes, consulentes, aut ad id positivè efficaciter cooperantes, effectu secuto.

3558. Nomine Clerici veniunt Clerici, saltem prima tonsura initiati, habitum, & tonsuram gestantes, etiam si sint excommunicati, suspensi, interditi, irregulares, aut verbaliter degradati. Item Clericus conjugatus, si cum una, & virgine contraxit, & habitum, ac tonsuram deferat. Hi quidem gaudent Privilegio Canonis: *si quis*.

3559. Privilegium Canonis amittit Clericus. 1. Bigamus verè, quatenus cum duabus contraxit, vel interpretativè, quatenus cum una corrupta, lib. 1. in 6. tit. de Bigamis. 2. Si habitu, & tonsura dimissis, ter monitus non reasumpsit, cap. *Cum contingit* 2. de Sent. excom. 3. Qui sine habitu, & tonsura enormibus se immiscet, grassando, latrocinia committendo, seditiones, aut bella commovendo, &c. Vide num. 757. & 787.

3560. Nomine Monachi includuntur Religiosi professi, & Moniales, Conversi, & Conversæ, cap. *Cum illorum*, & cap. de Monialibus, lib. 5. tit. 39. de

*Sentent. excom.* Novitii utriusque sexus, etiam si sint admisi ante annum 14. dummodo non sint infantes, sed usum rationis habeant, & hi dicuntur *Oblati*, cap. *Religiosos*, de *Sentent. excom.* in 6. Tertiarii Mendicantium, si habitum gestant, & in communitate vivant. Mulieres Tertiariæ in propriis domibus viventes, vitam castibem ducentes, juxta formam in num. 748. præscriptam Const. Leonis X. Dum intra.

Eremitæ collegialiter viventes, sub obedientia Episcopi, aut alicujus Prælati viventes. Glossa in cap. *Qui verè* 16. q. 2. & ex usu cum tacita voluntate Pontificis. Et quamvis professionem non emittant, eorum est similitudinaria Religio, ad similitudinem scilicet Fratrum Eremitarum.

Omnes illi, qui habitu Religioso assumpto, Monialium servitibus sunt mancipati, & pro illis elemosynas quarunt, dummodo vivant prope Monasterium, earum more. Item Laici, qui habitu Clericali incedentes, inserviunt Congregationi Presbyterorum, qui collegialiter modo Religioso sub certo Superiore vivunt.

Denique Equites S. Joannis Hierosolymitani, quia sunt verè Religiosi. De Reliquis Equitibus dic ut in num. 746.

3561. Per injectionem violentam manuum intelligitur, omnis actio exterior injuriosa, personam Ecclesiasticam violenter tangens, sive immediatè, sive mediatè, v. gr. si vestem tangat. Hinc si quis improprie in Clericum dicat, aut lapidem projiciat, sed lapis eum non tangat, excommunicationem non incurrit.

3562. Item nomine manus venit quodlibet instrumentum, quo fit actio physica injuriosa, nempe pes, &c. & ponitur manus quatenus est instrumentum magis solitum ad tales injurias.

Ad hanc igitur excommunicationem incurrendam, tria copulativè requiruntur, factum consummatum, violentia, & injuria. Injuria semper est annexa actioni physica, violentæ, & nocivæ.

3563. Maltrius ex nostro Alesano summatur, & satis actiones, in quibus quis excommunicationem incurrat, vel non incurrat, refert; & quidem incurrit, qui Clericum conspuat, pulvere, luto, vel aqua conspergit, vestem lacerat, aliquid per vim, & injuriam de ejus corpore eripit, pileum, v. gr. pallium; ita ut actio sit graviter injuriosa; si manu, vel pede, aut baculo eum percutiat. Si manus violentas injiciat in equum, cui ille insidet, sistendo per frænum; quia licet talis actio sit levis respectu corporis, est gravis respectu honoris; si eum persequatur, ut in flumen, vel fossam incidat, aut equo decidat. Si in carcere violenter detineat, aut in loco, unde sine dedecore exire non possit.

3564. Incurrit, qui aliqua ex his injuriis physiciis offendit Clericum mortuum. Pignatelli tom. 6. conf. 5. num. 3. Sperellus decis. 45. num. 36. contra Henriquez; quia Canon est favorabilis statui Clericali,

cali, & ideo extendendus. Idem potiori jure dic de Clerico dormiente: At non incurrere, qui vestes illi non adhaerentes lacerat, sequitur ex num. 3561.

Incurrit qui manu sinistra ad collum Clerici injecta, altera manu supra pugionem apposita, aut qui una manu eo per pectus, aut capucium apprehenso, alteram in forma pugni tenens cum minatur: *si non esses Clericus, te percuterem*. Est enim actio physica, violenta, & injuriosa. Sperellus decis. 45. num. 36.

3565. Incurrit, qui venenum Clerico præbet, statim ac ille bibit. Lezana tom. 3. verb. *Clericus*, num. 5. Sperellus decis. 20. etiam si mors non sequatur, quia propinatio veneni est actio exterior physica, violenta, & nociva, ac indè injuriosa; & secuto haultu, habetur effectus secutus sufficiens ad censuram. Nam (rectè ponderat Matthæucci tom. 1. verb. *Excom. Canonis*, num. 29.)

In casu veneni propinati duplex consideratur effectus: alter est ipsa propinatio, ob quam indubie non incurreret censura, nisi ea consummata esset, & sic nisi Clericus venenum siberet; alter est effectus veneni, nimirum mors; & iste effectus nullatenus est necessarius ad incurrendam censuram, sicut non est necesse ad effectum, ut mandans eam incurrat, quod Clerici mors, vel corporalis læsio sequatur, sed fat est, quod mandarius scilicet explodens, Clericum cum pulvere vel aliqua materia attingat, quia semper verificatur, quod violentas manus injecerit in Clericum, per actionem nimirum justitiæ repugnantem, ipsam Clerici personam cum injuria, & temerè tangentem.)

Quod si mors sequatur, tunc erit factum enorme, & homicidium.

3566. Non incurrit ipse Clericus, qui se ipsum injuriosè percutiat, quia jus de persona distincta loquitur. Maltrius contra aliquos.

Nec alius, qui causa disciplinæ, & correctionis Clericum percutit, ut Pater, Superior, Præceptor, Senex, aut aliquis propinquus. Constat ex *Authentica Presbyteros*, cap. 1. de *Episcopo*, ex cap. 1. de *Sent. excom.* & in cap. *Cum voluntate*.

Nec qui clam crumenam Clerico abscondit, aut vestem tollit; quia non est actio violenta, sed fraudulenta.

Nec qui percutit ad defendendum se, suos, aut suas res, vel honorem, cum moderamine inculpatæ tutelæ.

Nec si percussio sit jocosa, vel casualis, ut quando janitor, vel apparitor turbam arcens percutit Clericum.

Nec si percussio fiat ex subito, & non plenè deliberato animi motu; vel si injuria judicio prudenti non sit talis, ut ascendat ad mortale.

Nec si ipse Clericus percussioni se submittat, aut consentiat, si percussio non sit injuriosa, v. gr. si fiat joco, vel si velit ex alterius manibus disciplinam pati; si vero sit injuriosa, percussus est excommu-

natus, etiam si Clericus percussioni consentiat, quia injuria statui Clericali irrogatur, cui Clericus cedere non potest. Vide à num. 2100. & à num. 2115.

Nec qui ratione Officii vi extrahit de Ecclesiâ Clericum divina Officia turbantem, aut ibi indecentia patrantem. Glossa in verb. *Celebrationem*; quia præsumitur zelo, & non injuria manus injicere.

Pari ratione non incurrit, qui repellit Clericum injustè suam domum occupantem, si alio modo repellere non possit; quia utitur jure suo, adeoque non committit injuriam.

Nec mulier, quæ percutit Clericum super honestate, non puris verbis, sed factò eam insultantem, si alio modo repellere non possit. Vide num. 2094.

Nec qui percutit Clericum in fragranti crimine cum uxore, matre, forore, vel filia repertum, ex cap. *Si vero*, ut in num. 2096. Incurrit autem, si percutiat non statim, sed interposito tempore, quo dolor sedari possit: Vel si data opera clam expectet, ut in fragranti repertum percutiat: Vel si eum cum aliis sanguineis peccantem reperiat; quia textus cit. ita disponit.

Nec pueri ante annum 14. pubertatis pugnis se percutientes, ut infra de *Excom.* in fine.

Nec qui percutit Clericum degradatum degradatione reali, & actuali, ut infra de *Degradat.*

Nec demum incurrit Summus Pontifex, si Clericum percutiat; quia subiectum censuræ debet esse subditus illi, qui fert censuram; Summus autem Pontifex nullum Superiorem agnoscit, & idè nullam censuram incurere potest. Tum quia censura est de jure humano positivo, & Summus Pontifex est supra omne jus humanum positivum.

#### PERCUSSIO DIVIDITUR

3567. **C**ommunitè à Doctoribus in levem, mediocrem, & enormem.

3568. Levis est, quæ fit sine relictione vestigiis, ut quæ fit palma, pugno, pede, baculo, vel lapide vestigium non relinquitur.

3569. Mediocris est, quæ fit cum relictione vestigiis, sine tamen mutilatione, notabili sanguinis effusione, aut lethali vulnere. Ut si talis sit, quod dens, aut capillorum copia evellatur, vestes effringantur, si stercore vultus fœdetur, & similia.

3570. Enormis est, quæ fit cum mutilatione, aut cum notabili sanguinis effusione, quæ non fit è naribus, vel cum lethali vulnere, vel licet in se sit levis, fit autem enormis, & atrox ratione dignitatis persone. Levis namque erit, si alapa percutiatur Clericus; enormis verò si Episcopus, Abbas, Provincialis. Levis erit, si sanguis effluat è naribus: quia sunt organum nimis facile ad emittendum ex levissima causa sanguinem. Vide num. 571.

3571. Recentia divisio percussions in triplicem, est arbitraria, facta à Doctoribus, sed judicio quidem prudenti.

3572. In iure autem ex Const. 2. Joan. XXII. apud Confessio pag. 19. duplex distinguitur, levis scilicet, seu modica, & gravis, seu enormis; quæ Constitutio, quia valde iuvat, assertur, & est, ut sequitur:

Perlectis Litteris vestris circa absolutionem excommunicatorum, vos in eis dubitare perpeximus, quæ esset modica, aut levis injuria, circa quam, sicut talis loquitur, absolventi vobis contulimus potestatem. Ad quod cum sit facti potius, quam juris quæstio, vobis prout possumus, respondeamus: illam videlicet modicam percussioem, aut impulsionem, pugni, palmæ, manus, pedis, digiti, aut baculi, vel lapidis, quæ ad livorem, mutilationem membri, fractionem dentis, depilationem capillorum non modicam, vel effusionem sanguinis non excedit, nec tam levisini ictus, aut pugni percussioe sanguis exiret, transire in atrocem injuriam profiteamur, ut propter hoc sit ab absolutione talium abstinendum: ut tamen non solum ipsum factum, imò etiam facti qualitas, percutiendi modus, aut injuriandi circa hoc diligentius attendatur: & ipsius facti circumstantia, loci videlicet, & etiam personæ, quæ sit levis, vel modica, gravis, aut enormis injuria manifestius cognoscatur. Locum quidem, ut in theatro, vel foro, coram Rege, Prælato, vel Judice, in Ecclesia, coram multis in alio loco publico alicui injuria inferatur. Personæ, veluti si Magister, vel Judex, aut etiam Magistratus, aut Prælati, Pater, aut Patruus, vel aliquis in dignitate, vel personatu constitutus, ab inferiori, vel humili contra naturam juris patiat, per hæc quidem graves videantur injuriæ, & quæ sint leves, aut modice tanquam ex opposito cognoscantur. Sanè quia negotii natura non patitur, ut ad plenum omnia differantur; iudicium autem talis enormis injuriæ vestro diximus arbitrio committendum, ut potestatem vestram, cum ad hæc processeritis, temperetis, ut citra metas hujusmodi potius, quam ultra eas circa absolutionem talium procedatur: ne injuriantes de vicina absolutione consilii de facili in atroces prorumpant percussioes, vel injurias: & sententias Canonis jam periculosos contententes, in excommunicationis sententias proclivius prolabantur. Tolerabilis est enim aliquos, qui per vos etiam possunt absolvi, nobis, vel Superiori absolventos relinquere, quam contra statuta Canonum imaginem quamdam absolutionis (quod non sit sine grandi periculo) quemquam relinquere innotatum: cum umbra quædam videatur in opere, veritas autem non subeat in effectu, &c.

3573. Ex his colliges, percussioem dici levem, non in se, sed in comparatione ad medioerem, & enormem; undè in se debet esse peccatum mortale, quia excommunicatio non incurritur ob veniale. Nec sufficit; quod moralis sit quoad actum internum, sed requiritur, quod talis sit etiam quoad actum externum; quia Ecclesia non iudicat de internis; hinc si quis animum internum haberet cum violentia,

& injuria percutiendi Clericum, in effectu tamen absque extrinseca violentia, & injuria leviter illius peccus tangeret, non incurreret censuram; quia actio externa non esset mortalis in se, sed solum quoad actum odii internum.

3574. Indubio, an percussio sit levis, vel gravis, est censenda gravis. Clericatus cap. 27. num. 14. ex Extrav. Pii II. apud Navar. cap. 27. num. 91. sequitur ex Constit. Joan. XXII. num. 3572. & ex num. 3564.

3575. Percussor Clerici est vitandus absque eo, quod talis denuncietur, per hoc solum, quod sit notorius percussor Clerici, ita ut nulla valeat tergiversatione clari, ex Extrav. Martini V.

#### QUANTUM AD ABSOLUTIONEM EPISCOPI

3576. **P**otest à percussione levi absolvere, ex cap. Pervenit, de Sent. excom.

3577. Potest à mediocri, & ab enormi absolvere, si fuerit occulta ex Decr. Trident. sess. 24. de Reform. cap. 6. ut in num. 3314. & à publica, si persona excommunicata sit ex impeditis, uti sunt Moniales, &c. juxta dicta à num. 3345.

#### PRÆLATUS REGULARIS

3578. **P**otest suos subditos, & Novitios absolvere, nedum à percussione levi, aut mediocri, ex cap. Monachi, cap. illorum, §. Si Clausuales, & cap. Canonica, de Sentent. excom. sed etiam ab enormi, ex privilegiis à num. 3375. relatis Lezana tom. 1. cap. 18. num. 3. Layman. in Theol. Mor. lib. 4. traç. 9. cap. 7. num. 10. Tamb. de Jure Abb. tom. 2. disp. 14. q. 10. num. 6. Sorbo verb. Absolutio ordinaria quoad fratres.

Quia in relatis privilegiis, maxime in illo, in quo fuit petitio, qui essent excessus enormes, pro quibus sit ad Sedem Apostolicam recurrendum, solum quinque sunt excepti casus, ut in num. 3386. & 3390. num. 3375. inter quos non est percussio enormis; exceptio autem firmat regulam in contrarium.

3579. Firmiter suadet, quia in limitatione facultatis reservandi casus facta à Clem. VIII. Prælati Regularibus circa suos subditos, sub num. 10. conceditur reservabilis: Occiso, aut vulnerato, seu gravi percussio cujuscumque personæ. Quæ concessio supponit facultatem absolventi, nullus namque Superior potest sibi reservare casum, quem non potest absolvere. Vide num. 3301.

Quod (ut rectè ponderat Matthæucci, tom. 1. verb. Excom. Canonis, num. 55.) magis liquet ex verbis, quæ Urban. VIII. confirmans Decretum Clem. VII. addidit: Sanctitas sua deinceps declarat, ut si hujusmodi Regularium Confessaribus casus alicujus reservari facultatem petentibus, Superior dare noluerit, possint nihilominus Confessarii illa vice poenitentes Regulares, etiam non obtenta à Superiore facultate, absolvere. Ubi ad

ad rem notetur, per ly facultatem petentibus, Superior dare noluerit: Pontificem supponere, Superiores per se ipsos, vel alios, quibus id commisserint, posse proprios subditos à præfatis absolvere. Vide num. 3302.

3580. Qui autem sint hi Superiores, dictum est num. 3379. 3432. & 3302.

Quantum ad satisfactionem. Vide num. 3371. 3581. De Monialibus exemptis rectè ait Matthæucci cit. num. 60. Moniales exemptæ se invicem percipientes absolventur à suis Prælati Regularibus, vel aliis de præfatorum commissione; etenim privilegia Regularibus data eorumdem Monialibus communicantur, ut observat Pignatell. tom. 7. consil. 80. num. 4. Pialec. Prax. part. 2. cap. 3. art. 7. num. 1. & expressè in Bulla Aurea Sixtus IV. indulget: Ut Moniales, & Tertii Ordinis Sorores, existentes sub cura Fratrum Predicatorum, & Minorum respectivè, possint, & debeant liberè, & licitè uti in omnibus, & per omnia, Privilegiis, Immunitatibus, Gratiis, Favoribus, Concessionibus, Facultatibus, & Indultis spiritualibus, & temporalibus præfatis Ordinibus Predicatorum, & Minorum concessis, quatenus earum sexus, & status non contradicant: Et pro Monialibus Sanctæ Claræ repetit Leo X. Const. Cum sicut & Gregor. XIII. Const. Et benigna Sedis, & Sixtus V. Const. Etsi Mendicantium, confirmantes Privilegia Fratrum Minorum de Oblervantia, & Monialium Sanctæ Claræ, ac Tertii Ordinis Sancti Francisci, etiam per modum communicationis, & extensionis inter se, & cum aliis Ordinibus.

3582. Si in aliquo Conventu sint tantum Prælati, & unus Sacerdos subditus, qui invicem se percusserint, tunc, si percussio est occulta, potest Prælati illum Sacerdotem absolvere, eumque eligere, & absolvi, vel è converso, potest illi facultatem committere, ut ipse Superior absolvatur, sicque absolutus subditum absolvere. Port. in Respons. Moral. quia tunc, cum percussio sit occulta, Prælati non est vitandus, sed toleratus, adeoque habet jurisdictionem, & inde potest eam exercere, & delegare.

3583. Si vero percussio sit publica, ut nulla possit tergiversatione clari, videtur, quod non; quia tunc, cum sit vitandus, & inde careat jurisdictione, nec possit absolvere, nec eam delegare.

Attamen Diana p. 9. traç. 4. ref. 52. Passerinus, Lezana verb. Clericus, num. 17. Port. cit. & alii cum Tamb. docent, quod tunc, licet non possit sibi eligere subditum pariter publicè excommunicatum, quatenus hic, cum sit vitandus, non est capax jurisdictionis; potest tamen eligere alium Sacerdotem, & ab illo absolvi; quia tunc, licet, sit privatus jurisdictione, illa electio non est actus jurisdictionis, sed solum designatio personæ, cui Papa ex vi juris, aut Privilegii dat jurisdictionem.

3584. Si subditus sit laicus, aut Superior non sit talis, qui potestatem ordinariam habeat absolventi, adeoque non possit eam alteri delegare, ut in

num. 3303. 3379. & 3432. tunc recurrere debent pro absolutione ad Superiorem Provinciale.

#### QUÆRES I:

3585. A quo fit absolventis Religiosus, qui Religiosum alterius Ordinis, aut Clericum secularem percussit?

**P**asserinus de Elect. cap. 26. num. 67. Rodr. & alii apud ipsos tenent, Prælatos Regulares absolvere posse suos subditos à censura Canonis ob percussioem, etiam enormem alterius Religiosi, live proprii, live alterius Ordinis, live etiam Clericorum Sæcularium, hac moti ratione; quia privilegia Prælatorum Regularium absolventi ab hujusmodi censura, relata à num. 3379. ad 3392. maxime privilegia Bonifacii IX. Ordini Prædicatorum hanc dant facultatem absque limitatione.

3586. Dico tamen, Religiosum, Clericum Sæcularem percipientem, non à proprio Superiori Regulari debere absolvi, sed ab Episcopo, ex cap. Religiosi in 6. sub eodem titulo, vel à sede Apostolica ex stylo Curie, vel à Superiore Regulari de licentia Episcopi loci.

3587. Religiosus verò percipiens Religiosum alterius Ordinis debet ab ambobus eorum Prælati absolvi, ex eadem Decretali, his verbis: Si verò claustralis aliquis in Religiosam personam alterius claustrum invenerit violentiam, per Abbatem proprium, & ejus, qui passus est injuriam, absolvatur. Quam Decretalem Cabas. num. 9. & Engel. num. 132. ex Molina apud Matthæucci cit. num. 58. explicant, ut absolutio, & executio poenæ fiat per Superiorem percussoris, tanquam per iudicem Ordinarium, cum præsentia, & consensu Superioris offensi, tanquam actoris super injuria sui Religiosi, nisi Superior offensi integrum negotium Superiori percussoris commiserit, aut injuriam renittat.

Quod si Religiosi illi ad invicem, & mutuo se percusserint, poterit quilibet Superior suum subditum absolvere; quia injuria compensatur. Alarius, pag. 626. num. 9.

#### QUÆRES II:

3588. An Regulares possint absolvere seculares, & exteros à percussione levi Clerici?

**P**ossunt, tenent Diana part. 9. traç. 4. ref. 53. & Verricelli traç. 8. quæst. 25. cum aliis apud ipsos: quia licet Regulares non possint absolvi seculares à casibus ipsis specialiter reservatis à casibus scilicet, quos ipsi in propriis respectivè Diocesis reservant, absolvere possunt à casibus ex jure communi reservatis Episcopis, seu à quibus ex jure communi conceditur Episcopis facultas absolventi; talis est percussio levis, quæ proinde hodie (ait Verricelli cit. num. 15.) non est excommunicatio Papalis, sed Episcopalis, Episcopis competens, non ex jure speciali, sed ex jure communi, & ordinario, ex cap. Pervenit, ut in num. 3576. Vide num. 3429.

3389. Nec obstat dicunt Decret. Clem. VIII. de anno 1602. relatum *num. 3472.* ubi prohibetur cuilibet Confessario, tam Sæculari, quam Regulari sub prætextu privilegiorum absolutio *Injunctum violentas manus in Clericos juxta Canonem: si quis sua dicit diabolo 17. quest. 2. ac juris dispositionem;* quia talis reservatio est facta juxta juris dispositionem, jus autem commune, *cap. Pervenit*, percussorem levem committit Episcopo; adeoque restrinxit Canonem: *Si quis suadente*, ubi habetur reservatio Papalis ad percussorem mediocrem, vel enormem, ac proinde Confessarios Regulares intra Italiam, & extra Urbem, solum à medioeri, vel enormi non posse sæculares absolvere; quia hæc sola in reservatione Clem. VIII. comprehenditur, minimè percussio levis.

3390. Dico tamen, Regulares non posse intra Italiam, & extra Urbem sæculares absolvere à percussione levi, nisi ab Episcopo facultatem obtineant absolventi casus ipsi reservatos. *Miranda in Man. Prælatorum tom. 1. quest. 4. art. 2. Leone de Censuris apud Dianam cit. & alii.* Ratio est; quia Decret. Clem. VIII. absolute reservat percussorem violentam non distinguens de occulta, aut publica, nec de levi, aut medioeri, vel enormi; & ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Nec Canon: *si quis suadente*, distinguit de levi, &c. ut patet in *num. 3557.*

3391. Nec verba Decreti reservantis, *ac juris dispositio*, favent Confessariis Regularibus; quia *Jus cap. Pervenit* (ad quod verba referuntur) absolutio nem à percussione levi concedit Episcopis, minimè Confessariis Regularibus, aut Sæcularibus; & pariter Decretum Clem. VIII. per dicta verba, eandem facultatem confirmat Episcopis, sed expressè prohibet eundem Confessariis, tam Sæcularibus, quam Regularibus intra Italiam, & extra Urbem. Et ex hoc fit, quod non possint à percussione levi exteros, & Sæculares absolvere.

3392. Qui tamen poterunt à percussione levi sæculares, & exteros absolvere, si facultatem supra casus Episcopo reservatos, ab ipso Episcopo obtineant, quam facultatem Episcopus posse illis delegare, non est dubium, quia est potestas ordinaria, & tunc Confessarii Sæculares, aut Regulares à percussione levi absolvent, minimè virtute privilegiorum, sed ex delegatione, & commissione Episcopi.

De Privilegio Canonis fusc. agunt Privitera à pag. 22. ad 34. Peyr. tom. 2. pag. mihi 381. Mathæucci tom. 1. à pag. 311. Clericatus cap. 27.

#### CASUS 8. RESERVATI ILLUSTRISSIMO, ET Reverendissimo Archiepiscop. Panormitano.

3393. I. **R**aptores virginum, prolem suffocantes, & nefandum sodomie scelus, non modo excentes, sed etiam se mel committentes.

2. Paganis viris, vel mulieribus, aut bestis abutentes.

3. Qui Sanctimonialia, vel alias mulieres intra Monasterium commorantes turpiter alloquuntur, iisdemque per se, vel per alios scribunt, vel turpiter quid intendant, aut tractant.

4. Sortilegium operantes, & Magicas artes, Veneficia, Superstitionesque exercentes, & quolibet Sacramento, vel Sacramentali, aut re sacra ad id abutentes.

5. Litterarum, ac Sigilli Archiepiscopalis, & ejus Curie falsarii, & qui litteras, & scripturas Archiepiscopi, vel facti abripiunt, vel quovis modo mutant, aut deturpant, ut integrè legi nequeant *Vide num. 3554. num. 4.*

6. Notarii, qui legata ad pias causas facta non denunciant.

7. Clerici ad quoslibet Ordines per saltum, vel furtivè promoti. *Vide infra de Irregular. & tom. 3. num. 37. & 92.*

8. Bonorum Ecclesiasticorum Invasores.

#### EXPLICATIO.

3394. **P**rolem suffocantes dicuntur persone illæ, quæ in lecto periculum advertentes, & non curantes, prolem opprimant; vel quæ prolem ex adulterio, v. gr. natam, ut occulent, suffocant.

3395. Non sufficit ad reservationem, si raptus sit viduæ, aut desolata. Consideratione raptus *Vide num. 2158. Pro Sodomia. Vide à num. 2175. ad 2178.*

3396. Nominè Paganis non veniunt hæretici, sed non baptizati, ut Turcæ, &c.

3397. Qui semel sortilegium committit, incidit in reservationem; quia verè dicitur sortilegium operans. Non sic se mel, aut iterum magicas artes, Veneficia, & superstitiones operans; quia reservatio hic requirit exercitium; duo autem, vel tres actus non faciunt exercitium, nam exercitium dicit frequentiam. *Tamb. tom. 2. pag. 46. num. 33.*

3398. In 6. casu non comprehenditur legatum factum ad satisfactionem rei ablatae, aut furti; at peccant mortaliter in hac Diocesi Notarii illud non denunciantes, ex præcepto Synod. Panormit. de anno 1679. pag. 323. *num. 243.* ubi fit distinctio inter legata ad pias causas, & legata ad satisfactionem rei ablatae, aut furti; & ideo pro utriusque est peccatum sed pro prioribus reservatio.

3399. Pro 8. casu invasivo propriè est bonorum stabilitium; nam mobilium dicitur furtum, ut in *num. 3554. num. 7.* ubi vide quæ fit bona Ecclesiastica.

3600. In Dicecibus, ubi in peccato carnis cum Confessario reservatur peccatum complicitis, nomine peccati carnis, venit non solum copula consummata (nisi exprimat) sed quolibet peccatum mortale externum carnis, nempe tactus impudici, &c. Item nomine complicitis venit persona illa, quæ cum

eum Confessario peccavit; hæc quidem non potest ab eodem validè absolvi, bene verò ab alio Confessario; quia respectu ejusdem Confessarii peccatum complicitis est in tali Dicecesi reservatum, minimè respectu alterius Confessarii; nam respectu alterius Confessarii persona illa non dicitur complex in peccato carnis. *Vide tom. 2. num. 697.*

#### CASUS RESERVATI IN ORDINE MINORUM Regularis Observantia S. P. Francisci

#### MINISTRIS GENERALIBUS, ET PROVINCIALIBUS.

#### PRO OBSERVANTIBUS SUNT 19.

3601. I. **N**omen Dei, aut Domini nostri Jesu-Christi, aut Deiparæ Virginis Mariæ blasphemantes.
2. Rebus Sacris abutentes.
3. Quidquam in Religionis detrimentum extra Religionem patefacientes.
4. Discordias Patrum, vel depositiones Prælatorum manifestantes.
5. Calumniosa in judicio cuicumq; imponentes, vel ad id faciendum inducentes.
6. Falsò, ac scienter quemquam accusantes, & accusantem revelantes.
7. Falsum testimonium deponentes, vel deponendum procurantes, aut alium quomodolibet infamantes.
8. Jurati veritatem negantes, & falsum affirmantes.
9. Ter debitè moniti obedire reuentes.
10. Consummatum carnis peccatum quodcumque admittentes.
11. Detrahere contra Regulam accipientes, tenentes, vel asservantes.
12. Rci Sacræ, vel notabilis furtum perpetrantes.
13. Religionis bona extra Ordinem dono dantes.
14. Fratribus, vel sæcularibus vendentes, aut quovis alio modo alienantes.
15. Generalis, vel Provincialis, aut eorum Secretariorum litteras, tum missas, tum accipiendas, impediendes, frangentes, falsificantes, vel quomodolibet interceptantes.
16. Sigillum Ordinis, vel cujusvis alterius Prælati, aut personæ notabilis falsificantes.
17. Libellum famosum facientes, fieri procurantes, inducentes, consulentes, projicientes, vel publicantes.
18. Gravier quempiam percipientes, aut contra Prælatum machinantes.
19. Carnes, cum Ecclesiæ præcepto, vel Regulæ vetitum fuerit, comedentes, nisi scriptam facultatem ob necessitatem à Superiore antea impetraverint.

#### PRO REFORMATIS 13.

3602. I. **V**eneficii, incantefimi, è sortilegio.
2. Disubbidienza contumace, quando facta la terza monitione per un giorno naturale, il suddetto persevera nella disubbidienza.
3. Percussione grave d' un altro Religioso, ò Chierico Secolare.
4. Manifestatione di cose, che infamino la Religione, ò Frate Particolare.
5. Peccato di carne volontario compito.
6. Proprietà di peccato mortale.
7. Furto di cose notabili, ò replicato.
8. Falsa accusa con infamia dell' accusato, ò dar memoriale falso in qualche Tribunale.
9. Falso testimonio in giudizio.
10. Falsificazione di mano, ò Suggello de Superiori, ò di persona notabile, ò del Convento.
11. Malizioso impedimento, ritardatione, & apertura di Lettere de Superiori à sudditi, è de' sudditi à Superiori.
12. Far libelli famosi, consigliare, ò indurre, che si facciano, quando si giunge à segno, che siano esposti, buttati, ò in quellivoglia modo publicati.
13. Procurare, agitare, consigliare aborto animato, ancorche non sia seguito l' effetto.

Vide dicta supra Decret. Clem. VIII. à *num. 3302.*

Super quo dubitatum fuit:  
An in Decret. Clem. Papa VIII. de anno 1593. 16. Maii super qualitate casuum ab eorundem Regularium Superioribus reservandorum edito, censuræ etiam comprehenderentur; ita ut iisdem Superioribus absque Capituli Generalis, aut Provincialis consensu, aliquibus peccatis in Decreto hujusmodi non contentis, excommunicationem anteceterè, ejusdemque absolutionem sibi reservare liceat?  
Sac. Congr. Card. negotiis Regularium præposita, Illustrissimo Bandino referente, censuras in supradicto Decret. comprehendi censuit Romæ 7. Julii 1617.

#### CONFESSARIUM SCIENTIA.

3603. **C**onfessarius, ut validè absolvat, requiritur, & sufficit, quod cognoscat peccata, saltem sub ratione confusa peccati, & sciat formam. *Bulemb. lib. 6. tract. 4. cap. 3. dub. 4. num. 3.* quia sic habet partes essentielles Sacramenti.  
3604. Ut autem licitè absolvat, ejus scientia debet esse tanta, ut sciat discernere, an peccata, quæ communiter patrantur, sint mortalia, vel venialia, unum, aut plura, circumstantias mutantes speciem in peccatis communiter occurrentibus, nam de aliis etiam doctores sapè dubitant. *Leander hic dif. 11. q. 106. qui cum multis quest. 109. ait, in*

requiri, quod Confessarius de omnibus, quæ audit à penitente, iudicet, an sint peccata gravia, vel levia; imò neque, an sint, vel non sint peccata, sed de communibus; reliqua verò audiat, & intelligat, ac postea absolvat, cum debita intentione; quia si non tenetur omnia peccata cognoscere, minimè tenebitur determinatum iudicium de omnibus ferre.

3605. Item sciret debet spectantia ad restitutionem, requisita in penitente, ut sit rectè dispositus, & remedia peccatis opportuna, insuper casus reservatos, censuras, & irregularitates.

3606. Confessarii regulares ex suis privilegiis, extra Italiam, & intra Urbem absolvere possunt toties quoties, ab omnibus casibus Pontificiis, exceptis casibus 20. reservatis in Bulla Cœnæ Domini, & casibus reservatis Episcopis pro singulis respectivè Diocesis. Idem verò intra Italiam, & extra Urbem absolvere pariter possunt toties quoties, ab omnibus casibus Pontificiis, exceptis casibus Episcopis reservatis, casibus 20. reservatis in Bulla Cœnæ Domini, & insuper aliis sex casibus Pontificiis, qui post præfatos 20. referuntur. Unde Confessarii Regulares solum horum, & casuum in propria Religione reservatorum debent memoriam tenere. Insuper absolvere non possunt nominatim excommunicatos per sententiam ab homine, nisi virtute Bullæ Cruc. & satisfacta parte. Vide in p. 2. prop. 12. ab Alex. VII. damn.

3607. Confessarii autem Sæculares ultra præmissas, debent quamplurimum aliarum censurarum reservatarum memoriam tenere; quapropter omnium catalogum pro Confessariis commode appolui.

3608. In casibus difficilioribus, sufficit, quod sciat dubitare; & tunc si sit periculum errandi, v. gr. circa impedimenta matrimonii, restitutionem, censuram reservatam, &c. debet absolutionem differre, usquequo libros consulat, aut doctiores.

3609. Sacerdos notabiliter in scientia deficiens mortaliter peccat, si ad audiendas Confessiones se exponat. Major autem, aut minor scientia requiritur, & sufficit, juxta locorum, & penitentium diversitatem, juxta illud 1.ª 24. *Erit sicut Populus, sic Sacerdos.* Sæpè penitentes docti possunt Confessarios juvare. Vide num. 278. 2683. 3233. & 3312.

#### CONFESSARII PRUDENTIA.

3610. **D**ebita prudentia Confessarius utetur, si accuratè sui, & Sacramenti conditionem attendat. Est hoc Sacramentum *secunda tabula post naufragium*: adeoque Tribunal penitentiae, sed misericordiae, & portus salutis. Est ipse *Judex*, sed pater, & medicus, atque pacis mediator inter Deum, & hominem. Quamvis igitur munus Confessarii, per se sit audire, non interrogare penitentem, sæpè, attenta penitentis conditione, eum interrogare tenetur.

3611. Et quidem non est opus interrogare penitentes, si sint docti, aut licet non sint docti, sint tamen satis instructi ad peccata cum suis circumstantiis aperienda; sed eos, quos advertit non bene

examinatos, aut adjutorio indigere; idque humano modo, ne penitentes nimium vexet.

3612. Pro qua re sciendum est, pro integritate confessionis exprimentum esse numerum certum, & determinatum peccatorum mortalium, quando constat; quando verò non constat, sufficit exprimere numerum probabilem, aut verisimilem, addendo particulas *plus minusve*, vel *circa*: quæ verba se extendunt ad parvam summam iudicio prudenti respectivè ad numerum, cui adduntur: v. g. in numero denario ad duo, vel tria, in centenario ad decem; & sic qui confessus est, se peccasse circa decies, si postea recorderet peccasse per alias tres vires, non tenetur hæc tria consiteri; tenetur verò, si plurimum recorderet.

3613. Qui verò bona fide confessus est, peccasse vigesies, & postea inveniat, peccasse solum decies, non tenetur talem numerum retractare; nam in numero majori continentur minor, & sic confessio est integra.

3614. Quando non potest haberi numerus probabilis, dicenda est frequentia in die, septimana, mense, vel anno, quantum humanitus fieri potest; quòd si neque hoc fieri possit, sufficit dicere consuetudinem, & tempus peccandi.

3615. Hæc modo audiri debet concubinaris, qui diu concubinam domi retinuit, & meretricis; debent enim explicare numerum fornicationum, quot in die, septimana, mense, vel anno; quod si non possunt sine periculo magni erroris, sufficit, quod exprimat tempus, per quod in malo peccaverunt.

3616. Caveat, ne simplices interroget de peccatis fortè illis ignotis, ne sic eos ad peccandum doceat. Interrogationes in materia castitatis, maxime cum mulieribus, sint paucae, & cautæ, ne nimium ruborem afferat, ignorantem doceat, aut in aliquod periculum delectationis se, vel penitentem ponat; quod si id timeat, potius patiatur, ut aliquid integritati materiali desit. Busemb. lib. 6. tit. 4. cap. 2. dub. 6.

3617. Penitentes, dum confitentur, non interruptant, sed solum, quando advertit, eos desicere, aut confundi, suggerat, ac adjuvet, & statim siltat. Nunquam vultum asperum, aut gestum aliquem horrois ostendat, nunquam inter confitendum reprehendat, sed verbis dulcibus ad confitendum alliciat: Confessione vero completa, tunc, ut oportet, moneat, reprehendat, & curet; ita tamen, ut in reprehendendo iram non ostendat, sed amorem; aliquid tamen non sit in ore, nisi *filii, filia*: sic ore charitatis pleno dignoscere faciet penitentem malitiam peccati, offensam Dei, damnum animæ, & corporis, pericula, inquietudines, &c. ut ita penitentem non confundat, sed lucretur.

3618. Confessarius advertens, penitentem ignorantem alicujus mali gravis laborare, si orta aliqua dubietate, penitens cum interroget, tenetur veritatem aperire, quia silentium esset erroris approbatio. Si verò penitens eum non interroget, si Confessarius ad-

advertat, ignorantiam esse vincibilem, & culpabilem, tenetur eum monere, quia est indispositus, & in malo statu, ac providè non absolvendus, nisi velit desistere, & malum reparare.

3619. Si vero advertit, ignorantiam esse invincibilem, quatenus v. gr. bona fide rem alterius detinet, matrimonium cum impedimento dirimentis contraxit, &c. tunc, si prævidet, seu prudenter timeat, admonitionem non profuturam, nempe penitentem non restitutum, aut adhuc cum conjugum mansurum, &c. cum monere non debet; quia monitio caret sine, imò est occasio majoris mali; quoniam per monitionem ille, qui prius erat in statu peccati materialis sine offensa Dei, constituitur in peccato formali cum offensa Dei. Hinc S. August. relatus in cap. *Si quis*, de *Pœnit. dist. 7.* inquit *si scirem tibi non prodesse, non te monerem, non te tererem.* Idem die, si ex monitione timeat, aliquod magnum damnum, aut scandalum fecit v. gr. ex conjugum separatione filiorum periculum, parentum hostilitates, &c. Maltrius *disp. 21. q. 8. num. 216.* Lugo, Villalobos, Diana, Tamb. *tom. 2. in Meth. Conf. lib. 3. cap. 4.* ubi addit, quod in tali casu, si penitens sciat, peccatum in contrahendo matrimonio commissum, nesciat verò invaliditatem, de peccato absolvat, at invaliditatem non ostendat.

3620. Confessarii Principum, Prælatorum, scientes, eos non satisfacere proprio officio, v. gr. circa collationem beneficiorum, electionem Ministrorum, gubernationem subditorum, circa elemosynas ex bonis Ecclesiasticis faciendas, &c. tenentur eosdem de sua obligatione monere, alias erunt eorum peccatorum participes, & unus alterum ad inferna trahet; quia raro eorum ignorantia est invincibilis, & raro id evenit sine damno communi, & sine scandalo subditorum putantium familia licere.

3621. Confessarius (ait Gobat *tom. 3. de Voto, num. 393.*) tenetur ex charitate sequi opiniones probabiles, quando sectando severiores, conjicit penitentem in periculum peccati formalis.

3622. Parochus, si ex confessione penitentis dignoscit impedimentum dirimentis, & matrimonium sit contractum, gerere se debet ut in num. 3618. & 3619.

Si non sit contractum, debet illum monere, & si opus fuerit, terrere, ne contrahat: at si persistat in contrahendo, non potest illum à matrimonio repellere, sicut nec potest ab Eucharistia. Imò nec potest illum post confessionem monere, abique eo, quod prius ab illo licentiam petat, & obtineat. Ant. à Spir. S. de *Sacram. Pœnit. tract. 5. disp. 15. sect. 6. num. 1557.* cum Bonac. idque ratione sigilli sacramentalis, ex num. 3206. & 3222.

3623. Si ipse solus impedimentum occultum sciat extra confessionem, non potest ad matrimonium procedere, sed tenetur illud Ordinario manifestare. Anton. à Spir. S. de *Matrim. tract. 11. disp. 4. sect. 14. num. 212.* quia bonum Sacramenti præva-

let juri particulari secreti naturalis, ut in *tom. 2. num. 57.*

#### QUÆRES I:

3624. Petrus, qui bona fide contraxit cum impedimento dirimenti, quod etiam in statu conjugii ignorat, fecit votum cum juramento de non reddendo debitum uxori; accedit pro confessione ad Parochum pro tali voto violato, Parochus scit impedimentum dirimens, quomodo se gerere debeat?

**R**esp. Si Parochus prudenter putet, quod ex manifestatione impedimenti nullus speretur profectus, sed potius damnus, non tenetur illud aperire, juxta num. 3619. Quia penitens non perit, an habeat impedimentum (tunc enim utriusque teneretur positivè respondere, ut in num. 3618.) sed confiteatur peccatum in faciendo votum de re alteri debita, aut de eo ex conscientia erronea violato. Unde tunc se gerere debet, sicut cum eo, qui operatur ex conscientia erronea, & indè dicere, votum non tenere, imò à peccato in eo emittendo absolvere; nec tunc mentitur; quia stante conscientia erronea, sic voto peccavit, nec votum servare tenetur.

#### QUÆRES II:

3625. Dum duo sponsi accedunt cum pompa, & comitatu ad Ecclesiam ad matrimonium contrahendum, alter eorum recordatur impedimenti dirimentis. Quid iste agere debeat, ut se retrahat sine infamia, & scandalo?

**R**esp. Si impedimentum non afferat infamiam, aut scandalum, ut si sit affinitatis ex copula licita, &c. tunc debet ipse sponsus illud manifestare, & indè se retrahere, usquequo de remedio provideatur, vel penitus desistendo, vel dispensationem petendo.

3626. Si impedimentum afferat infamiam, aut scandalum, ut si sit affinitatis ex copula illicita, &c. tunc debet requirere Parochum pro confessione, occasione reconciliationis, & ei aperire impedimentum; Parochus autem potest sponsum monere, ut statim vovet castitatem, quo peccato, de licentia penitentis dicat, eos non posse contrahere; quia sponsus ille habet impedimentum voti, quo indiget dispensari, & nesciat.

3627. Quod votum debet verè emitte, aliàs Parochus mendacium proferret, quod quamvis veniale, nulla ratione dishonestari potest, cum sit ab intrinseco malo: Potest autem emitte ad breve tempus, ut sic sponsus, si nolit, aut non passim pro dispensatione impedimenti dirimentis recurrere, possit, voti tempore elapso, cum alio contrahere.

#### PRUDENTIA CUM MONIALIBUS

3628. **E**sse debet eximia. Si Confessarius deputatus pro omnibus indifferens, donaria à particularibus haud recipiat, nunquam loquatur, nisi quæ ad confessionem, & salutarem animæ instructionem conducunt, non sit asper, nec indiscretus in zelo: morum reformationem; minimè